



**I**ohannes ille in Sueuia natus & educatus est. Is cum foelicitate ingenij fretus, prima literarum fundamenta egregie iecisset, sese ad Tubingensem Academiam contulit, atque liberalibus artibus & Philosophia magna diligentia operam dedit. Postea quoque Vuitenbergam peruenit, atque tantos in literis progressus fecit, ut inter celeberrimae eius Academiae professores reciperetur. Scripsit is commentarios in Erasmi Roterodami opus De duplici copia rerum & uerborum. praeterea Epitomen ac Commentarium in uniuersam Aristotelis Physicam, id est libris quatuor, & anno millesimo quingentesimo trigesimo aedidit. In his pulcherrimam illam rerum naturalium scientiam tanta Methodo proposuit, atque uiam ad Aristotelis scripta cognoscenda praeparauit, ut non immerito hodie in omnium studiosorum manibus circumferantur. Itaque Ioannes suis uigilijs apud Philosophiae cultores magnam gratiam iniit, & tandem moriens aeternam nominis memoriam reliquit. Con. Gess.